



## XII.

QVAESTIO CVRIOSAS DE  
NATVRA SOLIS ET LVNÆ EX  
MICHAELE SCOTO.



**V**T Finis per omnia suo correspondeat principio quæritur utrum secundum Artem possit fieri verum Aurum aut non & videtur primo quod non: quia aurum eo quod ipsum est corpus perfectum requirit sibi proprium locum suæ generationis videlicet ventrem terræ vel venas sicut vinum ventrem vitis, ergo non potest fieri nisi in proprio loco. Item nulla forma substantialis potest introduci ubi propria activa proprijs passivis non possunt artificialiter inveniri. Sed forma substantialis solis non est à calore solis vel ignis quo utuntur talis artistæ. Sed est à calore solis, ergo &c. Circa istam quæstionem est sciendū: quod nihil aliud quæritur nisi utrum ex aliquo minerali puta Sole vel Luna possit aliqua virtus seminaria artificialiter procreari, quæ statim & in momento Mercurium induret usq; ad duriciem solis. Hoc tamen primo ostendemus, supposito quod talis virtus seminativa inveniatur, tunc potest convenientius ex sole elici & rationabilius elicitur. Secundo dicendum est, quomodo ipsi soli virtus pullulandi in est. Tertio dicendum est: quomodo seminatur in terra & in quali nutritur, id est, augetur seminatio. Quarto designis virtutis mineralis, quæ eadem accidentia in Mercurio vivo introducuntur. Ultimo est ad omnia argumenta dicendum.

Circa primum sciendum quod talis virtus seminativa convenientius elici potest ex auro. Quod probatur per beatum Augustinum super Genesi, ubi dicit. Insunt ei rebus corporeis omnia mundi elementa, quædam occultæ seminariæ rationes quibus cum data fuerit oportunitas temporalis atque causalis prorumpunt in causas debitas & species suis modis & finibus, & sicut non dicuntur angeli qui ista faciunt anima-

*Loes artem  
negantes.*

*1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50*

*Seminatio  
est ex 0*